



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Tvrriani Societatis Iesv, Defensio Locorum S.  
Scriptvrae. De Ecclesia Catholica, Et Eivs Pastore  
Episcopo Romano, B. Petri, principis Apostolorum  
successore, libri duo. Aduersus nugatorias ...**

**Torres, Francisco de  
Coloniae Agrippinae, 1580**

**VD16 ZV 18729**

Capvt II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-33634**



Apostolus in epist. ad Rom. vocat, cum ait, habentes donationes secundum gratiam, quae data est nobis, differentes, siue prophetiam secundum rationem fidei, siue ministerium in ministrando. Sic etiam Dorotheus, quem paulo ante dixi, pedes in illa Pauli analogia interpretatus est significare diaconias, id est, ministeria, quae pedibus conficiuntur, ut peregrinando, visitando, & alia huiusmodi officia obeundo; sic etiam caput charisma regendi & gubernandi significat, quod similitudinem cum capite humani corporis habet. sed malo id Chrysostomi verbis a te praetermissis, & insidiosè dissimulatis exponere. sic enim ait post illa a te recitata, paucis verbis interiectis. Inquit igitur, at non potest oculus manui dicere, nihil est mihi te opus, aut rursum caput pedibus, nihil mihi vobis opus est: etsi enim donum inferius est, scilicet pedum, necessarium tamen: & ut illo non existente multa impingant, ita sine hoc plenitudo ecclesiae manca fuerit sanè. Vide Antoni, vide, quem admodum caput interprete Chrysostomo teste tuo, in loco Pauli non quodcumq; excellentius donum, siue charisma significet, sed charisma, quod analogiam & similitudinem cum capite humani corporis habet, charisma inquam regendi, quod praeposito ecclesiae datur, sine quo plenitudo ecclesiae, quae est corpus Christi, mutilum est, & decurtatum. Non potes hic cauillari, quin fatearis plenitudinem ecclesiae corpus Christi esse, cui Christus datus est caput super omnia. vtrumque tibi testatur Paulus in epist. ad Ephes. at interprete tuo teste non comparat hoc loco Paulus caput Christi, quod est caput omnium charismatum, & de cuius plenitudine accepimus omnes, cum pedibus, id est, cum charismate, siue donum ministrandi. Hoc enim esset non maius cum minore, sed infinitum cum finito comparate, id est, infinitum fontem infinitorum donorum, cum vno paruo dono, siue charismate: sed caput comparat, quod ecclesiae praestit, id est, praepositum, cuius charisma regendi, & gubernandi instar capitis excellentius est, quam charisma ministrandi, quod pedes vocat propter rationem analogiae. et paulo post, idem Chrysostomus, nam quid, inquit, pedibus humilior est? capite quid honoratum, necessariumve magis? est enim homo vel maxime caput scilicet. at qui non sufficit ipsi sibi tamen, omnia ve expedire solum potest. Si enim posset, frustra nobis appositum pedes fuissent. Quod hic dicit de capite Chrysostomus, nihil eo magis honoratum esse in homine, magisq; necessarium, an non quadrat hoc in praepositum Ecclesiae? id est, Episcopum? vos ipsi iudicate ex superintendentibus vestrarum ecclesiarum, an non habetis eos ceu capita quadam? de singulis Episcopis singularum ecclesiarum, quos tu paulo post iam das mihi, loquor modo, ex quibus cogam te dare vnum caput, quod Ecclesiae Catholicae, quae vna est, praestit. Vides quid Clemens Romanus discipulus Apostolorum, licet tu eum ignores, quia est tuus aduersarius, lib. 8. de charismatibus scribat, quod ad intelligendum, quod Paulus in illo loco de comparatione capitis tradit, mirabiliter facit. interpretabor

Quomodo  
Chrysostomus  
verbis ab Antonio  
praetermissis  
declarauit  
quid caput  
in analogia  
Pauli signi-  
ficet.

Quomodo  
que Clemens  
lib. 8. de  
charismati-  
bus scribit,  
mirifice fa-  
ciunt ad in-  
telligendum,  
quod Paulus  
in illa ana-  
logia de ca-  
pite dicit.

ad ver-

ad verbū. Post multa alia de charismatib. siue donis diuinē scripta, quāmodo, inquit, nec Episcopus se in diaconos, aut presbyteros efferat: neq; presbyteri in populum, ex vtrisque enim constat cœtus. Episcopi enim & presbyteri aliquorum sunt sacerdotes, & laici aliquorum laici. atque esse quidem Christianum in nostra potestate est, (suprà dixerat, adiuante Deo, quod hic etiam intelligendum est) Apostolos verò & Episcopos, non est, sed potius penes Deum, qui charisma tribuit. Hactenus Clemens. Charisma Episcoporum, qui sunt capita suarum Ecclesiarum, comparat cum charismate presbyterorum & diaconorum, quibus presunt. Sed bene habet, quod tu hoc non negas, sed confiteris: ex qua confessione paulò pòst vnum Episcopum, id est, vnum caput vnius Ecclesie Catholice concludam; confiteris inquam, ita doctrinam Pauli ad vniuersam ecclesiam pertinere, & esse generalem, vt etiam, inquis, possit ad Corinthiorum Ecclesiam accommodari, alioqui frustra Corinthijs proponeretur. rectè tu quidem hactenus, cum verò subiungis, Age nunc & accommoda ad Pauli propositū tuam illam parabolam analogicam de Petro totius ecclesie visibili capite Quid? Petrus ne inter Corinthios versabatur, vt periculum esset, ne caput diceret pedibus, non estis mihi ne cessarij? Fuit ne Petrus admonendus, ne inferiora membra Ecclesie despiceret? Cū tu Antoni fateris, hanc Pauli doctrinam, non solum generalem esse, id est, pertinere ad vniuersam Ecclesiam, sed etiam ad singulas ecclesias, vt Corinthiorum, Colossensium, Ephesiorum, & aliorum deinceps, simul fateris, ad illas singulas Ecclesias accommodari illam Pauli analogiam de capite, quod non possit dicere pedibus, non estis mihi necessarij, vt similiter illarum Ecclesiarum capita, qui sunt earum Episcopi, non debeant efferre se in eos, qui locum pedum in eorum Ecclesijs tenent. Hoc enim est non dicere caput pedibus, nō estis mihi necessarij. Itaq; non vacat in singulis Ecclesijs hac pars analogie, non potest caput dicere pedibus, non estis mihi necessarij. quia singule Ecclesie habent singula capita, quarum omnium Ecclesiarum vniuersa multitudo, que nominatur & est Ecclesia Catholica per totum orbem diffusa, totum quoddam est, constans ex omnibus Ecclesijs tanquam partibus suis. Hęc vna Ecclesia Catholica est Episcopatus vnus, cuius à singulis pars in solidum tenetur, vt B. Cyprianus dixit. explicati libro superiori, & quidem verbis Cypriani, quid esset teneri à singulis Episcopis singulas partes vnius huius Episcopatus, siue Ecclesie Catholice, quod tu nunquam intellexisti. Huius Episcopatus qui vnus est, id est, vniuersa Ecclesia vnus Episcopus est, cui dixit Dominus, Pasce oues meas: quod nulli ex Apostolis dixit singulariter, nisi Petro, & in eo dicit etiam singulariter eius successor. Hic vnus Episcopus sicut caput est huius vnius episcopatus, siue huius vnius Ecclesie Catholice, ita etiam caput est ipsorum episcoporum, qui partes singulas tenent

Quid sit nō  
dicere ca-  
put pedib;  
non estis  
mihi ne-  
cessarij.

Episcopatus istius, est q̄, Episcopus Episcoporum, vt doctus Tertullianus vocauit  
 vere, & non vt tu finxisti per ludibrium, vt libro superiore docui. Huic igitur  
 capiti vniuersę ecclesie etiam conuenit, quod Paulus in sua analogia posuit, non  
 potest caput dicere pedibus, non estis mihi necessarij; si enim potestatem habet in  
 omnes Episcopos, quia est eorum pastor, consequens est, vt habeat etiam in Ec-  
 clesias eorum, & in earum ministros, cuiuscunq; ordinis ecclesiastici, ita tamen  
 vt neminem contemnere ei liceat, nec in vllum licet in sumum per contemptum  
 & superbiam se esse ferre debeat. Sed sicut Dominus in Euangelio Luca dixit, de  
 eo, qui ecclesie præesse debebat, et pro cuius fide, ne deficeret, orauit, de quo solus  
 Lucas in eodem loco meminit, qui maior est in vobis, fiat sicut minor; & qui  
 præfessor est, sicut ministrator. Non est mentitus Dominus, cum maiorem in  
 Apostolis nominauit; nec qui dixit in Euangelio Matthæi, quicumq; voluerit in-  
 ter vos maior fieri, sit vester minister, prohibuit caput esse in Apostolis maior e-  
 nim in Apostolis, quid est, nisi caput; sed admonuit, ne se esseret caput in mino-  
 res. & tu Antoni belle ais, Fuit ne Petrus admonendus, ne inferiora  
 Christi membra despiceret? Sic enim probat: quod est in analogia Pauli de  
 capite, non posse dicere pedibus, nõ estis mihi necessarij, nõ conuenire non Petro.  
 In eo falleris, quod quia capiti vniuersa Ecclesie, id est, Episcopo Romano suc-  
 cessori B. Petri analogiam Pauli de capite accommodari, negare me existima-  
 sti, pertinere etiam analogiam de capite ad reliquas ecclesias & earum Episco-  
 pos. Sic enim ais: quis igitur non videat in ipsa Corinthiorum Eccle-  
 sia inueniendos esse aliquos, qui cum humani corporis capite con-  
 ferantur? Ostende tu, Antoni, vbi hoc ego negaui? aut fatere te falsum obie-  
 cisse, qui non vidisti, qui refert analogiam ad vniuersam Ecclesiam, quæ corpus  
 est Christi, & ad caput eius vnum, qui est Pontifex, simul etiã referre ad alias  
 omnes Ecclesias, quæ sunt totidem corpora mystica illius magni corporis mysti-  
 ci, id est, totius Ecclesie partes: quæ habent singula capita. Sed quia ego cū Pro-  
 testantibus de capite vno generali totius Ecclesie contendo: non opus habui de  
 alijs capitibus singularum Ecclesiarum meminisse. Nec existimabã vllum tam  
 tardum, aut tam contentiosum cauillatorem, qui nodum in Cirpo, quod aiunt,  
 Omittamus igitur, quæ hoc loco frustra aerem verberans, & σκια μαχῶν ar-  
 gumentaris.

vbi Christ.  
admonuit  
Petrũ caput  
Ecclesie fa-  
rum, ne  
diceret pe-  
dibus, non  
estis mihi  
necessarij,  
id est ne se  
esseret in  
minores,  
immo infu-  
mos.

“  
“  
“  
“  
“  
“  
Cõiunctur  
Antonius  
falsum ob-  
iectissã.

Veniamus ad Homonymiam capitis, in qua enodanda ita versaris, vt planè  
 appareat, nihil aliud te facere, quam tergiuersari, ne veritatem confitearis.  
 fatemur, nomen capitis, vt perfectissimè respondet, vt ais, capiti naturali, soli  
 Christo conuenire in theologia: quia scilicet vt à capite inuicem capium sensus, &  
 nerus, vnde dictum est caput, vt paulò antè dixi, & scribit Marcus Varro, sic  
 Christus solus caput est, sicut Apostolus ait, ex quo totum corpus connexum, &



» compactum, & qua sequuntur in epistola ad Ephes. Concedis deinde, nomen  
 » capitis, et si non ita proprie, ad eos etiam transferri in sacris literis,  
 » qui videntur esse primi, qui que inter alios eminent. Scio tamen, in-  
 » quis, quosdam ex veteribus nomen capitis in hoc Apostoli loco ad  
 » ecclesie pastores accommodare, quod & Ambrosius fecit. Sed quam  
 » parum inde causa Turriani subleuetur, ex ipso Ambrosio cogno-  
 » scamus. non potest dicere caput pedibus, non estis mihi necessarij,  
 » id est, inquit, maior gradu, & dignitate non potest esse sine illo, qui  
 » humilis est, quia est, quod humilis potest, quod sublimis non potest.  
 » Si hoc loco Ambrosius caput, ut dicit, ad pastores accommodat, cum interpretatur  
 » caput, id est, maior gradu & dignitate, quis erit iste pastor maior gradu & di-  
 » gnitate, nisi episcopus? Episcopus enim est pastor ecclesie. siue caput, id est, maior  
 » gradu & dignitate in ea. Hoc autem quod tu iam Ambrosio auctore concedis,  
 » quomodo parum iuuat causam meam, si quod das in ecclesijs singulis, ut sit ma-  
 » ior gradu & dignitate, qui sit ecclesie sue pastor, hoc ipsum cogis dare in to-  
 » ta ecclesia, qua ex omnibus ecclesijs tanquam totum ex partibus constat, ut sit  
 » scilicet vnus maior gradu & dignitate, qui sit illorum pastorum particularium  
 » pastor generalis. Nec enim Christus cum soli Petro ex omnibus Apostolis, ut pau-  
 » lo ante Augustinus, tuus & noster testis dicebat, dixit, Pasce oves meas, pa-  
 » stores excepit, immo verò etiam arietes intellexit, iuxta parabolam Eze-  
 » chielis, ut antea docui, & probaui. Citas deinde eundem Ambrosium, cum ait  
 » paulò post explanans locum Apostoli, posuit Deus in Ecclesia primum  
 » apostolos &c. Caput inquit Ambrosius in Ecclesia apostolos po-  
 » suit, qui legati Christi sunt, sicut dicit apostolus, pro quo legatione  
 » funguntur, deinde quasi nactus ἐπιμακρον, Ecce vides Turriane, si ma-  
 » lis nomen capitis intelligere de gradu ecclesiastici ministerij, non  
 » esse tibi in quopiam homine subsistendum, sed ipsum ecclesie mi-  
 » nisterium comprehendendum esse, quemadmodum fecit Ambro-  
 » sius, qui non vnum Petrum dixit esse caput, ut ille Papa qui Ce-  
 » pham interpretatus est, cuius tamen causam ineptissime tueri vo-  
 » luisti, sed omnes simul apostolos. rursum non vnum Petri succes-  
 » sorem Romanum Episcopum caput esse dicit, sed omnes simul E-  
 » piscopos, id est, ipsum ministerium Ecclesiasticum. Hoc est quod pau-  
 » lo supra aiebat Dionysius, alienum à ratione & absurdum esse, non altere-  
 » rim propositi, sed vocabula. Si dicerem ego reges esse caput, quis dubitaret me  
 » voluisse dicere, non omnes simul reges esse vnum caput? quia caput dixi nu-  
 » mero singulari: sed vnumquemque regem caput regni sui. An cum Cyprianus di-  
 » xit lib. 3. in epist. 11. ad Cornelium, quid circa personam eorum obseruare dece-  
 » ret illos,

Quomodo  
 Antonius,  
 non vnum pro-  
 positum, sed  
 vocabula  
 tantum at-  
 tendit, quod est  
 absurdum.

» ret illos,

ret illos, de quibus loquitur, vnam personam esse intelligi voluit, quia non dixit circa personas eorum? quis est tam ignarus sermonis, & tam expertus intelligentia, qui sic putet? Sic cum Ambrosius dixit, caput in ecclesia Apostolos posuit, capita intellexit: non vnum caput omnes Apostolos. Quid? tam cito oblitus es Antoni, quod libro superiori tibi obiecasti ex Apocalypsi B. Ioannis? cum describeres adificatam ecclesiam proposita vrbis similitudine, & murus, inquit, habebat fundamenta duodecim, in quibus erant nomina duodecim Apostolorum, &c. si Apostoli sunt fundamenta, quod à nobis illic explicatum est, quomodo non sunt capita, sed caput? an fundamentum non est caput quoddam adificij, licet in imo sit, sicut radix caput arboris? aut igitur consistere Apostolos non caput vnum, sed capita fuisse, aut nega eos esse fundamenta. Sed quod sic Ambrosium, quē nō intellexisti, interpretor; ne credas mihi Antoni, Crede Dionysio Areop. Pauli discipulo, nisi tu forte hunc, quia cum secta tua pugnat, sicut alij Lutherani faciunt, negas. Is igitur in epistola ad Demophilum digna Apostolico authore, Tu inquit Demophile, prescribe qua oportet, cupiditati, ira, & rationi (his enim partibus mens, quæ in homine principatū tenet, præest) tibi autem prescribant diuini ministri (ministros ecclesie infra presbyteros complectitur, quorum ordines, quia charismata Dei sunt, diuinos vocat, infra quos est monachus, si nullius ordinis ecclesiastici est, sed monachus tantum) ministris autem ecclesiastici ordinis, vt sunt diaconi, hypodiaconi, lectores, cantores, & alij) prescribant sacerdotes (hi enim sunt maiores) sacerdotibus Episcopi, Episcopis Apostoli, & Apostolorum successores. En Antoni, Apostoli capita Episcoporum, quia Episcopis præerant, & tanquam maiores prescribebant eis; quod faciunt Archiepiscopi suis diocesanis, vt hodie vocant, id est, suis prouincialibus episcopis, inde est omnes episcopi sunt successores Apostolorum, suntque eiusdem ordinis Archiepiscopi, tamen celsioris gradus sunt, vt pote successores Apostolorum propinquiores, de quibus sancitus est à sanctis Apostolis canon 34. Apostolorum: qui iubet episcopus vniuscuiusq; gentis siue nationis, agnoscere τὸν ἐν αὐτῶν τῶν κεφαλῶν: id est, agnoscere eum, qui inter eos primus est, eumque ceu caput habere; Archiepiscopum dicit, qui est in capite prouinciæ, qui est caput episcoporum suæ prouinciæ, sic nominatus primus episcopus, siue Archiepiscopus, siue metropolitanus, siue cuius auctoritate & sententia iubet idē canon, vt nihil Episcopi prouinciales agant, præter ea quæ ad cuiusvis eorum diocesim, & eius loca pertinent. Citat hunc canonem synodus Antiochena c. 9. Leo Magnus in epist. 84. ad Anastasium Thessalonicensem Episcopi Romani vicarium. item Lucius Pontifex, & Anicetus in epistol. ad episcopos Gallie. Calixtus in epist. 2. & ante eos S. Anacletus Clementis Romani successor in epist. 3. hanc formam reliquerunt sancti Apostoli primis istis episcopis prouinciarum; vt

Quō Antonius conuincitur esse ignarus sermonis, & expertus intelligentiæ.

Quō Apostoli nō caput, vt vult Antonius, sed capita fuerunt; sicut fundamenta, & non fundamentum.

Apostoli capita Episcoporum, sicut nūc Archiepiscopi Episcoporum suorum prouincialium.

sicut ipsi Apostoli Episcopo ordinabant, & constituebant, vnusquisque in ecclesijs, quibus euangelizabat, tanquam caput earum, sic Metropolitanus episcopus alijs episcopis ad ordinationem adhibitis, tanquam primi in prouincijs suis ordinarent. & sicut ipsi Apostoli vnum inter se maiorem agnouerunt, de quo Dominus in euangelio eis dixerat, qui maior est inter vos, &c. Sic Archiepiscopi, siue Metropolitanus, & prouinciales episcopi eis subiecti, omnes vnum maiorem, & primum omnium agnoscerent. sic autem B. Petri successor est, & non alius, nec alij. Hoc etiam scripsit S. Anacletus in epist. sua 3. nam & inter beatos Apostolos, inquit, quadam fuit discretio. & licet omnes essent Apostoli, Petro tamē à Domino est concessum, & ipsi inter se voluerunt, vt reliquis omnibus præset Apostolus: & Cephas, id est, caput, ac principium teneret Apostolatus: qui & eandem formam suis successoribus, & reliquis episcopis tenendam tradiderunt. sic enim in vetustis exemplaribus manuscriptis, & emendatioribus scriptum est, & reliquis episcopis, non autem & reliqui Apostoli, vbi successores Apostolorum, & episcopus, qui ipsi sunt successores etiam Apostolorum, planè distinxit Anacletus, sicut paulo ante Dionys. Areop. Quod autem tu denuò cauillaris, in vocabulo Cephas, non intelligens quid reprehendas, si ego ineptissime volui causam tueri, vt ais, cur ineptias meas non redarguisti, si poteras? vt ego tuas redarguo, & conuincio, quia rationes suppetunt. Sed de hoc satis responsum est Centuriatoribus Magdeburgensibus, licet, vt video, frustra tibi, quia discere non vis, qui, vt mihi videris, & bibliothecas, & veterum lectionem odisti, qui consilium mihi das irridens, vt me abdam in tenebricosos bibliothecarum recessus. De hac forma, quam Anacletus scribit relictam à sanctis Apostolis successoribus eorum & reliquis Episcopis, si Anacletus non credis, neque nobis, lustra prouincias & ecclesias Catholicorum cuncti orbis, & reperies vniuscuiusq; gentis, ac nationis episcopos, in singulis prouincijs suum primum agnoscere; & ceu caput eum habere: & rursus ipsos primos, & capita episcoporum prouincialium vna cum ipsis illis prouincialibus episcopis, vnum & solum primum, vt B. Cypr. de Cornelio dicit, agnoscere successorem beati Petri, scilicet episcopum Romanum. Rursus probas quod D. Ambrosius dicit, Caput in ecclesia Apostolos posuit, significare caput esse, non Romanum Episcopum successorem Petri, sed omnes simul episcopos, id est, ipsum ministerium ecclesiasticum, quod etiam, inquis confirmatur præclara illa sententia Cypriani, Episcopatus vnus est, cuius à singulis pars in solidum tenetur. docui libro superiore & quidē verbis ipsius Cypriani, teneri à singulis episcopis partem vnius episcopatus in solidum, nihil aliud esse, quā ita singulos partem vnius Ecclesie, Catholice, siue episcopatus siue vt satis inusitatè, ne dicā ineptè, loqui vis, vnius ecclesiastici ministerij, vt vnusquisq; partem ceu portionis à scripta sibi, et commissa solus

Quò S. Anacletus, sicut S. Dionysii Archiepiscopus ab Episcopis distinxit.



solus rationem redditurus sit. itaq; episcopus cū non sit nisi episcopus partis suā,  
 quā tenet, non erit caput nisi illius partis. Sicut VVitemberg verbi causa super-  
 iuendens caput tantum est, vt vos putatis, VVitemberg. ecclesia falsi nominis.  
 Subiungis postea, tu verò (me dicis) nullam vnitatem potes apprehen-  
 dere, nisi in vno homine eoq; Pontifice Romano. Nisi hereticus esses, "  
 qualis ab Apostolo describitur, proprio iudicio cōdemnatus, ex nullo luculentius  
 intelligere posses quā ex eodem Cypr. quem tu modo ad dicendum testimonium  
 contra te vocasti, non posse, vt verbis tuis vtar, apprehendi vnitatem ecclesie, nisi  
 ab vno homine, & eo quidem B. Petro incipientem. Recitemus Cyprianum, &  
 tergiversare si potes, ne fatearis veritatem. Loquens de Petro in lib. de vnitatem  
 ecclesie. sic ait: tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab  
 vno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant vtq; & ceteri Apostoli, q̄  
 fuit Petrus, pari consortio prœditi, & honoris et potestatis; sed exordium ab vni-  
 tate proficiscitur, vt ecclesia vna monstratur. Hactenus Cypria. vides quomodo  
 Cypriano teste tuo & nostro, nō potest esse ecclesia vna secundum scripturā, nisi  
 vnitatis eius ab vno Petro incipiat, sicut Dominus auctoritate sua disposuit? quā-  
 do autem & vbi in scriptura disposuit, paulo suprā idem Cypria. exposuit, cum  
 dixit, soli Petro dictum esse à Domino, & ego dico tibi, quia tu es Petrus & su-  
 per hanc Petram edificabo ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni caelorum,  
 & c. & eidem Petro dictum esse post resurrectionem, pascue oues meas: & paulo  
 suprā vocauit Petrum originem vnitatis, & quē vocauit originē vnitatis, voca-  
 uit caput. sic. n. ait loquēs de causa & ortu heresis, hoc eo sit fratres dilectissimi,  
 dum ad veritatis originē nō reditur, neq; caput queritur, neq; magistri caelestis  
 doctrina seruat. quā si quis consideret & examinet, tractatu longo atq; argu-  
 menti opus nō est. Probatio est ad fidem facilis cōpendio veritatis loquitur Do-  
 minus ad Petrū, ego dico tibi, inquit, quia tu es Petrus, & super hanc petrā edi-  
 ficabo ecclesiam meā, & c. hac est origo vnitatis, ad quā nō reditur ab hereticis,  
 Petrus scilicet; hoc est caput, quod non queritur ab hereticis, sed fugitur & ne-  
 gatur. hac est doctrina caelestis, in qua disposuit auctoritate sua Dominus originē  
 vnitatis in Petro, cū dixit, & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petrā  
 edificabo ecclesiam meā. Hec petra est origo & caput vnitatis, ad quam qui nō  
 redit, ad ecclesiam, quæ vna est, & in Petro habet exordium vnitatis, nō pertinet,  
 nec pertinere, quandiu nō redit, potest. elude si potes hanc Cypriani sententiam,  
 aut si nō potes, da manus, ne pereas. Sequitur, Et certē, si hec verba refers  
 ad superiorem similitudinem, aut manca erit similitudinis reddi-  
 tio, (quod absit à Paulo accuratissimè scribente) aut nomen capitis  
 non respondebit vni, sed multis, cum Paulus numerū multitudinis  
 usurparit. primūm, inquit, posuit apostolos, deinde prophetas, &c.

Quomodo  
 Cyprianum  
 testem con-  
 tra se Anto-  
 nius citaue-  
 rit.

Quō testi-  
 monio Cy-  
 priani testis  
 sui conuin-  
 citur Anto-  
 nius, vt vni  
 Ecclesie ca-  
 put confi-  
 teatur.

Dixi iam nomen capitis in analogia, qua vsus est Paulus, respondere & vni, & multis: multis quidem, id est singulis metropolitanis, vnusquisq; enim est caput sua prouincia, & episcoporum prouincialium, qui nunc vocantur dioecesani, et vnaquaq; ecclesia metropolitana est quoddam corpus Christi particulare, quod caput habet suum, quod dixi, & membra sua mystica: quod corpus est pars totius corporis Christi, & plenitudinis eius, qua est vniuersa ecclesia. vni vero respondet nomen capitis, id est episcopo episcoporum, qui vnus, & solus, & primus est, vt verbis Cypriani vtar: sic enim est caput vniuersae Ecclesiae, & origo vnitatis eius.

CAPVT III

**V**ideamus aliam tendiculum Antonij. argumentaris non posse in hac similitudine referri caput ad vnum hominem, sed ad multos, quia oculi & aures non possunt separari a capite: quare cum multi oculi, & multae aures esse debeant, sequitur vnum caput in multis debere esse. dixi supra, & dicendum est sapius, non te intelligere quid in hac analogia siue similitudine mystici corporis cum corpore humano significant, caput, oculi, aures, pedes, & alia membra: significat enim caput eum, qui regit: oculi eum, qui lustrando, & circumspectando adiuvat eum, qui praest, & gubernat: pedes eum, qui ambulando & peregrinando ministrat capiti, aures eum, qui nunciat ei, quae audit. Hos autem tot esse oportet, quot multitudo ecclesiae possit. qui autem hac officia in ecclesia administrant non regendo, quod solum est capitis, sed seruiendo capiti, homines sunt, et non infixi capiti tanquam sensus oculorum, aut aurium, vt tu argumentaris. non igitur propter multitudinem oculorum, & aurium, non in vno, sed in multis, vt tu dicis, consuetudine erit caput. Ita vero esse, hoc quod dico, scilicet multos oculos, & aures non inducere caput in multis, ex disput. Arist. contra principatum vnus, l. 3. Polit. intelligere potes. Sic enim argumentatur nam principes inquit, ac reges nunc quoque, multos oculos sibi faciunt, non tamen hinc efficitur apud Arist. vt non conueniat vni principatus capitis. Illi igitur oculi, manus, aures, & pedes, etsi homines sunt, quos vnus princeps, & caput sibi adhibet ad regendum, & ad officio capitis fungendum, non tamen in illis caput constituitur, id est, auctoritas regendi, quae in vno est. Sicut mens, quae est, vt Dionys. in diu. nom. cap. 9. ait, caput quoddam animae alioquin incorporea, non est constituta in sensibus, & eorum appetitibus, qui ex se ratione vacat, & menti obediunt. eius modi sunt illi oculi, & illa aures, & caetera membra, in quibus tanquam in ciuitate non est constituta ratio capitis, cuius est praesse & imperare: habet enim homo in se ciuitatem quandam, & Remp. sicut te Plat. l. 8. & in extrem. a part. l. 9. de Repub. elegantissime docuit. Postremo, inquit, vt Pontificijs decretis, id

Quo multo  
tudo oculo  
rum & aurium  
in analogia  
Pauli non  
inducit mul  
titudinem  
capitum, vt  
Antonius  
obijcit.  
Quo apud  
Aristot. vni  
conuenit  
principatus  
capitis, licet  
multos oculos,  
& multas  
aures sibi  
adhibeat.  
Mens caput  
animae.  
Quo secundum  
Platonem homo  
habeat in se  
ciuitatem  
quandam,  
& temp.

tis, id est, tuis telis te ipsum confodiam, quid respondebis Calixto  
 Papæ dist. 11. cap. non decet, qui affirmat ecclesiam Romanam esse  
 caput Ecclesiæ vniuersæ? si enim tota Ecclesia Romana est caput,  
 cur tu mihi toties vnum hominem, vnum Pontificem, vnum Pe-  
 tri successorem inculcas? Porro si caput ecclesiæ visibile nullū po-  
 test esse nisi ratione successionis Petri, ac nemo sanus dixerit Ro-  
 manam Ecclesiam Apostolo Petro successisse, Tunc enim non es-  
 set successio personalis. quomodo dici potest Ecclesia Romana ca-  
 put vniuersæ Ecclesiæ? Respondeat Turrianus suo Papæ, quo se  
 ipse magis, ac magis, respōdendo refellat, & coarguat. Non Papa, sed  
 tibi respōdebo Antoni, quo magis, ac magis conuincam, nihil aliud agere te, quā  
 tergiversari & cauillari, ne veritatem confitearis. An non legisti in Cypriano,  
 aut saltem in libro meo ex Cypriano sapē contra Andreā Freyhubium tuum  
 commilitonem repetitum, quod scripsit l. 4. epist. ad Florentium, siue Puppia-  
 num? Postquam enim dixit, illi sunt ecclesia, plebs sacerdotū adunata, & pastori  
 suo grex adherens, subiungit, vnde scire debes, episcopum in ecclesia esse; &  
 ecclesiam in episcopo. et si quis cum episcopo non sit, cum ecclesia non est: & quæ  
 sequuntur. Ecclesia est in episcopo, vt testis tuus, quo tu vti soles, dicit, ergo qui  
 ecclesiam Romanam caput vniuersæ ecclesiæ esse dixit, Episcopum ecclesiæ Ro-  
 manæ caput vniuersæ Ecclesiæ esse dixit. aut igitur nega ecclesiam esse in Epi-  
 scopo, & testem tuum repudia: aut concede tantundem esse dicere Eccle-  
 siam Romanam caput vniuersæ Ecclesiæ, quantum Episcopum Romanum ca-  
 put vniuersæ Ecclesiæ. Hoc est quod inculcatur in decreto Calixi, quod tu  
 intellexisti. Sed pergit Antonius argumentari acutissimè: (vt sibi videtur)  
 vt verò mihi, obtusissimè, Ecclesiam Romanam non esse caput vniuersæ Eccle-  
 siæ, quia inquit, nullum est caput visibile Ecclesiæ vniuersæ, nisi  
 ratione successionis Petri, at ecclesia Romana non succedit Petro.  
 ita est, non succedit Petro, quia vna & eadem numero Ecclesia Romana est ab  
 exordio suo, quod in Petro cœpit, vsq; ad consummationem seculi, sed propter  
 Petrum, cui successum est, quia permanere non potuit, sicut permanet Ecclesia  
 Romana, dicitur, et est caput ecclesiæ vniuersæ, quia sicut à principio fuit in Pe-  
 tro, sic semper est in successore eius. iudicent qui sunt saniores quam tu, an sic re-  
 spondendo, me ipse magis, ac magis refellam; an tu sic cauillando te ipse magis,  
 ac magis coarguas.

Quomodo  
 Calixtus Pa-  
 pa dixerit  
 Ecclesiam  
 Romanam  
 esse caput  
 vniuersæ  
 Ecclesiæ,  
 q̄ Antonius  
 objicit.

Quomodo  
 Antonius  
 cauillando  
 se magis ac  
 magis re-  
 fellit.

Prosequamur reliqua; sequitur, inquit, tertius error tuæ argumen-  
 tationis, quod ea cōclusio, quā infers, nempe Pontificē Romæ esse  
 caput vniuersæ ecclesiæ, est planè èrroꝝ. Quoties enim scriptu-  
 ra differit de capite Ecclesiæ, nunquā aliud nominat, quam vnum  
 Chri-

Christum. Sic Ephes. 1. Col. 1. Ephes. Quare summo perè vitanda sunt illa loquendi genera, quæ contradicunt expressis scripture sententijs, hoc enim est ἑρεῶδιδασκαλεῖν, ut ait Paulus. Si Pontificem Romanum esse caput vniuersa ecclesia est doctrina ἑρεῶδοξος, i. peregrina; ut ab eo-

Quò doctri-  
na Antonij  
cõuincitur  
peregrinita-  
tis testimo-  
nio Cypria-  
ni testis.

dem Paulo in epist. ad Heb. vocatur: peregrina ergo erit illa confessio, cum qua illi ad ecclesiam redierunt, vnde exierant, de quibus B. Cyprianus ad Cornelium literas congratulationis plenas, libro 3. scribit, & ut ipsorum propria verba inquit designem, nos, inquit, Cornelium episcopum sanctissima ecclesia Catholica erectum à Deo omnipotente, & Christo Domino scimus. nos errorem nostrum confitemur. circumuenti sumus perfidia loquacitate factiosa amentes. videbamur quasi quandam communicationem cum schismatico homine habuisse, hincera tamè mens nostra semper in ecclesia fuit. Nec ignoramus vnum Deum esse, & vnum Christum esse Dominum, quem confessi sumus; vnum spiritum S. vnum episcopum in Catholica ecclesia esse debere. O beatos Protestantes, si talem confessionem ederent. videtur ne tibi Cyprianus aliena et peregrina doctrina, qui huiusmodi confessionem, gratiarum actione, & congratulatione, & laetitia ingenti, celebrauit: lege principium epistola. Hac confessio interpres est il-

Quò ex quo  
tẽpo. e Lu-  
therus do-  
cere cepit,  
nunquã Lu-  
therani v-  
num aucto-  
rem eccle-  
siasticũ pro-  
ferre potue-  
runt, qui di-  
ceret episco-  
pum Rom.  
non esse ca-  
put ecclesie  
Catholice.  
Quare scri-  
ptura semp  
Christũ di-  
cit caput esse  
ecclesie, &  
nusquam  
Pontificẽ sic  
nominat, &  
quò etsi nõ  
sic nomi-  
net, sic tamẽ  
inrengẽn-  
dum esse  
dicitur.

lus sententiæ Cypriani, quam tu cõtra te nesciens citare soles, episcopatus vnus est, i. vna est ecclesia Catholica, in qua vnus est episcopus, ecclesia enim dicitur, & est Episcopatus Episcopi, cuius ecclesia. siue Episcopatus pars à singulis scilicet coepiscopis in solidum tenetur; quod paulò supra exposui. hic vnus episcopus nominatur & est caput ecclesia vniuersa. si hæc doctrina est ἑρεῶδοξος, quomodo ex quo cepistis varijs, & peregrinis doctrinis à Martino Luthero ἑρεῶδιδασκαλεῖν abduci, nunquam vnum protulisti scriptorem, qui diceret episcopum Romanum non esse caput ecclesia Catholica? aut cur non probas repugnare scripturis, quas non intelligens iactas, ponere aliud caput virtutis participatæ infra Christum verum, & infra virtutis caput? quod autem dicis, & te mouet, scripturam, cum de capite ecclesia differit, nunquam aliud caput nominare, & locos apostoli citas, debebas querere causam, cur ita: dicam ego etsi non queris: quia qui Christum habet perfecte caput, is membrum viuum est corporis Christi, quod est ecclesia, & necessariò Pontificem habet in ecclesia caput, nõ tamen reciprocatur, nõ enim quicumq; caput habet Pontificem Romanum in ecclesia, idẽ habet perfecte Christum caput. Hac est causa, quare aliud caput nõ nominet, contẽta nominare Christum caput, ex quo tamen nõ sequitur, vt si nõ nominet, nõ sit intelligendũ, & quidem necessariò, vt in loco superiore de Analogia Pauli sciam credo me probasse & in altero, quẽ rursus citas Ephe. 4. qui est caput Christus, ex quo totũ corpus connexum, & compactum, &c. si corpus Christi, qua est ecclesia, non habet aliud caput quam Christum totum, non debuit Paulus dicere

ex quo

ex quo scilicet capite Christo totum corpus, sed reliquum corpus: cum autem dicat non reliquum, sed totum, aut habet caput suis membris simile, ex quo intelligatur corpus, ita ut totum, id est, caput & reliqua omnia membra ex vero capite Christo sint connexa, & compacta, & illhinc initium omnis gratia, & vite spiritualis capiant: aut si non habet, sequitur necessario quia totum corpus sine capite intelligi non potest, ut Christus, qui intelligitur in toto corpore, ex Christo connexus, & compactus sit, & Christus ex Christo initium vite & gratia capiat. Vides Antoni exitum tuae cavillationis? vrges eundem Paulum, sicut, inquit, corpus vnum est, & membra habet multa, omnia vero membra corporis vnus cum sint, vnum corpus sunt, ita & Christus. audis Turriane, ita & Christus inquit, id est, ita & ecclesia, cuius caput Christus est. sic enim totum corpus ab ipso capite denominavit. Demus hoc, quid tum? quomodo probas non esse intelligendum, quamuis non nominet? cum autem subiungis, cum ergo in hac similitudine, quam nobis objicis, Paulus noluerit aliud Ecclesie caput preter vnum Christum assignare, Tu hoc dicis, et non probas, sicut ille Parmenianus apud Augustinum. Adis preterea: Paulus enim dicit Corinthios esse membra corporis Christi: non dixit Petri, aut eius successoris, sed de vno Christo mentionem fecit, tu ne Paulo peritior, & acutior? imo tu ne peritior, & acutior Pauli interpres, quam Ecclesia Catholica per vniuersas mundi regiones, & oras diffusa, qua confessionem tenet, predicat, & profiteatur, quam paulo supra ex Cypriano teste tuo audisti? discite igitur quod ignoratis, quia non credis, etsi Petrus est caput ecclesie, & successor eius, quia vnus de his in ecclesia Catholica. Episcopus, non tamen sicut sensus, & nerui naturalis initium capiunt a capite, sic a Petro capite Ecclesie sensus & nerui spirituales initium capiunt, sed a Christo vero & vnico capite: idcirco, membra corporis Christi dicimur, & sumus, non membra corporis Petri. Sed tu non potes apprehendere, ut verbo utar, quo tu in me vri soles, vnicum caput esse Christum, & Petrum esse caput Ecclesie. vnicum, & verum Ecclesie caput tale, quale Christus est, solus Christus est, caput dico propriae virtutis, & infinita, sicut est tale ecclesie fundamentum, preter quod nemo aliud potest ponere, nisi quod positum est, quod Christus Iesus. Petrus vero fundamentum & caput Ecclesie est, non virtutis propriae, sed communicata ab illo, de cuius plenitudine accepimus omnes. Pergis cavillari, quia non suppetunt rationes, qua sunt instrumenta Philosophi. Nunc, inquis, ignoravit Paulus, esset ne Christus visibilis, an invisibilis? an non potuit animaduertere & τὸ ὄρα illud, quod ais necessario sequi, nisi Petrus tanquam visibile caput interponatur inter caput & Ecclesiam? Quis tibi dixit non animaduertisse Paulum

Quale caput ecclesie sit Christus, & quale Petrus, quod Antonius non intelligit, quia non credit.

H ἑτερον,

Quomodo  
quod Apo-  
stolus dixit  
non potest  
caput dice-  
re pedibus,  
nō estis mi-  
hi necessarij  
vnū est ex  
illis quā B.  
Petrus dixit  
difficilia es-  
se in epist.  
Pauli, & ab  
hæreticis  
deprauari,  
quod in Lu-  
theranis  
experimur.

ἀτοπὸν, id est, absurdum, quod dici? immo maxime animaduertit. an exspe-  
ctabas, vt diceret Paulus totidem verbis, absurdum esse, & vt ego dixi, instar  
monstri, vnum corpus esse visibile, non vno capite visibili, sed multis? vt si non  
clare, & aperte diceret, nullis rationibus, nullis testimonijs, nullis scripturis cre-  
deres? Non putas verum esse, quod B. Petrus de epistolis Pauli scripsit, quadam  
esse in eis difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles ad suam ipsorum perdi-  
tionem deprauant? Hoc est vnum ex illis quibusdā, quod tu cum alijs magistris  
Protestantium, quia indoctus, & instabilis es, ad tuam & illorum perditionem  
deprauas, quod enim Paulus de capite visibili & creatura dixit, non potest di-  
cere caput pedibus, nō estis mihi necessarij, tu de capite Christo, qui non est cre-  
atura, sed creator, accipiendum esse contendis, ne cum Catholicis vnum Episco-  
pum caput in Ecclesia Catholica consitearis. & illud ex quo totum corpus, & c.  
cum non possit esse & dici totum corpus, quod ex capite Christo connexum &  
compactū est, nisi in illo toto corpore caput sit, quod simul cum reliquis corpore,  
id est, reliquis membris connexum sit, & compactum ex Christo capite, tu simili-  
ter deprauas, & facis nesciens Christum ex Christo connexum & compactum  
esse, quo nihil potest dici stultius. Si Pauli, inquis, potius quàm tuo iudicio  
stetisses Turriane, proculdubio idem caput ecclesiæ catholice cum  
Paulo nominasses, nempe Christum. Nos Antoni iudicio Pauli stamus,  
& cum caput Ecclesiæ Catholica, & quidem vnicum & verum, nempe Chri-  
stum nominamus, ita vt præter illud tantū, ac tale caput nemo possit nominare.  
et iudicio etiā eiusdem Pauli stamus, cū ex eo vnico capite dicimus totū corpus,  
id est, caput cum reliquis omnibus membris, hæc enim sunt totū corpus, ex Chri-  
sto capite connexum esse. & ita debere esse hoc caput modestum, & tanta cum  
omnibus membris societate, & coniunctione charitatis teneri debere, vt neq; eos  
qui extremi, & infimi esse videntur, contemnat. hoc enim est nō posse dicere ca-  
put pedibus, non estis mihi necessarij. Paulū autē cum velles probare non perti-  
nere ad Petrum illam analogiam de capite, quod non posset dicere pedibus, non  
estis mihi necessarij, Fuitne, inquis, Petrus admonēdus, ne inferiora ec-  
clesiæ membra despiceret? quanto aptius, & cōuenientius, in te hoc retor-  
queri potest? Exat ne caput Christus admonendus ne infimos ecclesiæ despiceret?  
si quidem ad caput Christum pertinere vis hanc Pauli admonitionem, non po-  
test caput dicere pedibus, nō estis mihi necessarij. Deinde adiungis, Itaq; quod  
nobis falsò obijcis, in te verè quadrat, cū ais, nos cōstituire corpus  
ecclesiæ πολυκέφαλον. nos enim vnico ecclesiæ capite nempe Christo  
contenti sumus; vos autem duo capita ecclesiæ cōstituitis. Vnum  
visibile, alterum inuisibile. Si falsò obieci cōstituire vos corpus Ecclesiæ  
πολυκέφαλον, id est, multorum capitum, quare ad rationem meā nihil respon-  
disti,

dixisti, in pagina 301. à te notata? Sic enim diserebam cum Andrea Freyhubio, cui tu subsidio accurristi, aut fortasse dicet Andreas, non esse sine capite Ecclesias, quae capita habent Episcopos suos, siue superintendentes, vt vos vestros vocatis. hoc iam paulò antè tu Antoni dedisti, sic enim scripsisti: Quis igitur non facile videat in ipsa Corinthiorum Ecclesia inueniendos esse aliquos, qui cum humani corporis capite conferantur? Cùm igitur omnes Ecclesia maiores, quae sunt partes totius Ecclesiae Catholicae, quae vna est, singula capita habeant, quod vel exemplo etiam & testimonio vestrorum superintendentium, sic enim vocatis pseudoepiscopos vestros, concedere cogeris, illos enim ceu capita in singulis Ecclesijs habetis, quæro, tota ecclesia, quæ ex illis omnibus tanquam partibus constat, quod caput habet simile, id est, visibile? si nullum: habet igitur tota ecclesia multa capita, & non vnum caput. hic tu, caput, inquis, habet Christum. Rursus quæro, hoc caput Christus, an nõ sufficit etiam singulis ecclesijs, quæ sunt partes totius, ex quibus tota ecclesia constat? Si sufficit, quare ponis omnes Episcopos totidem capita suarum ecclesiarum? aut etiam quod totus inter Lutheranos vt peior magister postremo excogitasti, omnes simul Episcopos caput? si autem non sufficit, id est, si noluit Christus, vt satis esset singulis ecclesijs, habere Christum caput inuisibile, quia haberet etiam capita visibilia, quare non idem toti ecclesiae concedis? Vt qui ecclesiam autoritate sua, sicut voluit, id est, sapientissimè disposuit, voluerit, vt & partes ecclesiae tanquam minoræ quaedam corpora, haberent sua capita; & tota Ecclesia ceu totum corpus ex illis partibus conflatum, vnum caput, quod similiter visibile esset, propter vnitatem, & concordiam haberet? vnitatem enim habere non poterat, quæ cerneretur; quod ad concordiam necessarium erat, nisi ab vno omnium primo, & solo, qui cerneretur, inciperet. Si enim tota ecclesia vna est, dic vnde incipit origo vnitatis eius? in episcopis enim singularum partium, nullus est primus omnium, & solus, vt ei tribuatur exordium vnitatis: sed potius multi primi, qui dicuntur, & sunt metropolitani in capitibus prouinciarum. Respondebis fortassis incipere originem vnitatis à Christo. Quomodo igitur testis tuus Cyprianus dicit loquens de Petro, in libro de vnitatis Ecclesiae, vnitatis eiusdem ecclesiae, ab vno incipientem sua autoritate disposuit? Deinde paulò suprà dixisti, omnes simul episcopos esse caput Ecclesiae, idq; præclara illa sententia Cypriani confirmari, Episcopatus vnus est, cuius pars à singulis in solidum tenetur. Si hoc dicit tuus testis hic, vnū esse episcopatum, quia omnes simul episcopi sunt caput vnū vnius Episcopatus, produci iam hic testis à te non potest, quia testimonium antè in te dixit, cum dixit originem vnitatis non à multis simul, sed ab vno autoritate Christi, qui ita Ecclesiam disposuit, incipere. Produci, inquit Venuleius, testis non potest, qui ante in eum testimonium dixit.

Quomodo Antonius nihil respondere potuerit ad questionem in qua probatum est facere eum Ecclesiam multorum capitum instar moliri. Quò Antonius solus ex omnibus Lutheranis oēs simul Episcopos facit & dicit esse vnū caput.

Quare Christus noluerit, vt singula ecclesiarum maiores singula capita haberent; & ecclesia Catholica ex illis constaret vnū caput omnium haberet.